

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm**

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In  
Novum Testamentum

**Erasmus, Desiderius**

**Berolini, MDCCLXXX**

**VD18 90514300**

Reverendissimo In Christo Patri Ac Domino D. Laurentio Campegio S.R . E.  
TT. S. Thomae in Parione Cardinali Des. Erasmus Roterodamus S. D.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14035**

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI  
AC DOMINO  
D. LAURENTIO CAMPEGIO  
S. R. E. TT. S. THOMAE IN PARIONE  
CARDINALI  
DES. ERASMUS ROTERODAMUS

S. D.

**Q**uoties inconstantiam rerum humanarum intueor, Laurenti, Cardinalitii ordinis non infimum decus, videor mihi prorsus Euripum quemdam videre, aut si quid Euripo instabilius; adeo vicibus irrequietis sursum deorsum volvuntur ac revolvuntur, nec possunt eodem in statu diu consistere. Quum ad summa ventum est, recurritur ad relicta, donec rursus eo veniatur, ut a fastidio iam intolerabili cursum deflectere cogamur. Porro si quis mari conetur obfistere, aut huius cursum alio derivare, nunquam id fecerit sine gravi discrimine rerum, ingentique tumultu. Sic olim Romanorum monarchiam excepit democratia, aut certe oligarchia, quae et ipsa tandem eo licentiae processit, ut tribunis plebis ac dictatoribus foret opus, mox etiam imperatoribus, quorum potestas in immensum evecta fecit, ut rursus pristini reipublicae status desiderarentur. Sed infinitum fuerit, ad hunc modum conferre singula rerum genera, surgentium vicissim ac cadentium, florentium, iacentium, ac denuo reflorescentium, nova-

que subinde specie repullulantium. Illud magis mirum, sacris etiam studiis, quae maxime decebat sibi constare, suas esse vices aestuarias. Olim credebatur philosophia christiana, non disputabatur, et pia simplicitas hominum, sacrorum voluminum oraculis erat contenta, nec egebat variis praescriptis ultro prompta caritas, omnia credens, nusquam haerens. Mox theologiae patrocinium capefebant humanis instructi disciplinis, sed ferme his, quas hodie rhetoricas vulgus appellat. Paulatim magis ac magis adhiberi coepit philosophia, primum Platonica, mox Aristotelica. Coeptum quaeri de multis, quae vel ad mores, vel ad coelestium rerum speculationem pertinere videbantur. Quae res primum visa est propemodum necessaria. At sensim eo succrevit, ut plerique neglecta linguarum ac politioris literaturae peritia, imo neglectis divinis voluminibus, in curiosis, supervacaneis, et immodicis quaestiunculis, velut ad Sireneos scopulos consenescerent. Iam ars esse coepit theologia, potius quam sapientia, theatrica verius, quam ad veram pietatem accommoda. Hanc praeter ambitionem, avaritiamque vitiarunt et aliae pestes, adulatio, contentio, ac superstitio. Quibus rebus ubi tandem eo ventum est, ut Christus ille purus propemodum esset obrutus humanis argutationibus, ac limpidissimi quondam evangelicae doctrinae fontes, Philistaeorum scrobe opletis, divinaeque scripturae certissima regula, nunc huc, nunc illic detorta, nostris serviret affectibus magis, quam gloriae Christi, quidam pia certe mente conati sunt, orbem ad pristinam studiorum simplicitatem revocare, atque a lacunis iam fere turbidis ad vivas illas ac purissi-

mas scatebras reducere. Eam ad rem conficiendam, linguarum ac bonarum, ut vocant, literarum cognitio visa est in primis conducere, quarum neglectu videmur huc prolapsi. Atque hic protinus ingens tumultus in ipso rerum confinio, dum altera pars nimium mordicus tenet ea, quibus affuevit, altera violentius irrumpit, hosti, quam hospiti similia. Ita utriusque malo peccatur utrinque. Sic olim evangelicae doctrinae mustum averfabantur Iudaei, veteri vino mosaicae legis affueti, et contumeliam interpretabantur, quo prior illa lex et perficiebatur et ornabatur, ac novitatem habebant invisam, quum potius ad priscam vetustatem revocarentur. Porro sic fit, ut beneficium vertatur in dispendium, quum et medicus inclementer atque incommodum admovet remedium, et aegrotus saluti consulentem pro hoste ducit. Conveniebat magis, ut qui profitentur has literas, quae vulgo laborant invidia novitatis, quum sint antiquissimae, civiliter irreperent potius, quam hostiliter irrumperent, neque statim veluti sexagenarios de ponte depellerent, sed paulatim coalescerent novi hospites cum veteribus colonis. Neque enim in hoc adhibentur literae politiores, ut aboleantur disciplinae, quae cum maximo generis humani bono traduntur in publicis scholis, sed ut purgatiores sint, magisque sobriae, quam haecenus fuerint apud quosdam. Sit sane regina theologia. Sed nulla regina tam potens, quae pedissequarum recuset officium. Ab aliis admoneri se patitur, ab aliis comi, et ad suam gloriam pertinere credit, si famulas habeat quam honestissimas. Quod si qui bonarum literarum praesidio veterem eruditionem student ornare, comiter et placi-

de suum adhiberent officium, et hi, qui in pristinis studiis consenuerunt, nec sibi, nec iunioribus inviderent, sed novos advenas in civitatis suae consortium humaniter reciperent, futurum esset, ut utraque res alteri fit tum ornamento, tum usui futura, nimirum duplicato lucro, mutua commutatione bonorum. Nunc dum nos invicem luto conspergimus, imo dum invicem nos lapidamus, perit utrisque suus fructus, et utraque pars magno cum malo discedit. In libellis, quibus alteros alteri lacerant, plus est convitiolorum, quam argumentorum. In scholasticis diatribis plus est dentis, quam eruditionis, plus convitii, quam iudicii, plus studiorum, quam libertatis. In sacris concionibus evangelica doctrina, quam oportebat esse purissimam, humanis affectibus vitiatur. Peccant qui odiose vociferantur in haecenus recepta studia, licet infantia. Sed gravius peccant, qui consensu suggesto, unde solet audiri tuba evangelica, Christi gloriam personans, seditiose clamitant: *Arcete liberos vestros a graecis literis, hinc nascuntur haereses. Ne tangite libros illius et illius,* neque enim a nominibus temperant, *qui corrigit precatorem dominicam, qui castigat canticum Magnificat, qui emendat evangelium sancti Ioannis. Adeste praefecti, succurrite cives, tantam pestem arcete rebus humanis.* Quae quum dicuntur apud imperitam multitudinem, quid fingi possit seditiosius? Si apud eruditos et cordatos viros dicantur, quid insanius? Et tamen qui haec publice faciunt, haberi volunt christianae religionis columina. Nec interea perpendunt, quod Christi doctrinam profitentes, dum incessunt famam benemerentium, aut certe studentium benemere-



ri, ex diametro diffident ab eo, quod profitentur. Praeterea non cogitant interim operae suae fructum magna ex parte perire cum ipsis, tum populo, dum hisce rebus sibi fidem abrogant apud auditores. Quis enim credat odium et similitatem prae se ferenti? E diverso lucubrations eorum, qui suis vigiliis et studiis et verae pietati pro sua virili consulere student, minore cum fructu leguntur. Nisi parvi referre putamus, integro animo librum sumas in manum, an inimica persuasione, aut certe imaginatione occupato. Postremo pro semine evangelico pessima zizania feritur dissidiorum atque odii, quae ubi semel occupavit hominum animos, haud facile revellitur. Nec facile quis credat, e quantulis scintillis paulatim gliscentibus quam ingens incendium saepe nasci soleat. Nihil est autem in rebus humanis tam florens, quod non vertat in perniciem discordia. At eam nusquam magis vitatam oportuit, quam in studiis, praesertim sacris, quorum auctoritate praecipue tumultus humanarum cupiditatum sedari par erat. Quid enim aliud quam pacem docet, qui Christum docet? Quod si contigerit salem esse infusum, quid supererit, quo condiantur infusa? Si lucem evangelicae philosophiae cupiditates obscurant humanae, quid erit quod discutiat animi nostri caliginem? Quis autem nescit, bonam religionis nostrae partem pendere a studiorum ratione? At nunc hanc quoque vitae nostrae paradisum sic suo veneno vitiavit veterator ille serpens, ut mihi non paulo praestabilius videatur, quemvis hortulum colere, quam literas, videlicet cepis et caulibus plus allaturis fructus cultori suo, quam ad lucernam vigilatis noctibus. Sed iam du-

dum obmurmurat mihi tuus animus: Quorsum tandem haec tam multa? Videlicet ut tuo tuique similibus admonitu, Leo noster P. M. circulum immortalis suae gloriae, quem feliciter orsus est, absolvat. Iam pridem rem divinam praestitit orbi christiano, qui reges ac populos impiis bellis inter se tumultuantes in concordiam redegerit, fortasse non minus insigne beneficium praestaturus, si studiis quoque suam restituat tranquillitatem. Res enim tam amarum odiis, tam virulentis linguis, tam cruentis conflictationibus agitur, ut mihi nondum liqueat, maiore ne malo constiterit humano generi ille tumultus armorum, an haec dissidia studiorum. Quod serenissimus Angliae rex Henricus, eius nominis octavus, una cum Achate suo R. D. Thoma Cardinale Eboracensi, nec dubito quin te quoque consulto, (\*) praestitit suae Britanniae, id Leo praestare debet orbi terrarum, cui praesidet, Christi vicibus fungens, cui nulla res magis cordi fuit, quam concordia. Non, opinor, cuiquam veterum regum aut imperatorum titulum speciosiore erectum fuisse, quam hic est nostro Leoni positus, ut ferunt, Leoni X. ob pacem orbi christiano restitutam. Quid quod haec res non solum generali quadam ratione ad illum pertinet, ad quem pertinet, quidquid ad religionis ac pietatis negotium pertinet, sed peculiariter etiam illius refert, ne quidvis quibuslibet liceat in linguas ac bonas literas, quibus ipse suo gravissimo iudicio tantum tribuit, ut tantis impendiis suis conducat undique, qui Romae profiteantur, sic existimans, urbi tot ornamentis inclytæ, non mediocre decus hinc etiam accessurum. Nimirum perspicit pectus illius oculatissimum, linguarum cogni-

Nn 4

---

(\*) A. a: *consultare*

tionem non solum ad disciplinarum professionem esse necessariam, verum etiam ad christianae ditionis promoeria vel propaganda, vel stabilienda. Quod enim unquam regnum aut coaluit, aut diuturnum fuit absque linguarum communium glutino? Iam ipse iudica, quantopere illius interfit, si novum testamentum, quod illius hortatu suscepi, quod eiusdem hortatu denuo recognovi, quod Christo et ipsi dicavi, licebit cuivis rabulae indocto apud indoctos traducere. Me sane mei nominis iactura leviter commovet, modo Christo suus constet fructus, Leoni sua gloria. Quod si ratio faciendae concordiae quaeritur, ita rem confici facillime posse arbitror, si per illius oraculum edicatur, ut suam quisque professionem ornet, efferatque, citra contumeliam alienae, ut utrinque coerceatur linguae calamique rabies, potissimum ab his, quos magis decet haec moderatio. Quod si quid dissentietur, ut est frequenter, quemadmodum in palatis, ita et in ingeniis quoque dissensio, omnis contentio intra civilem conflictum consistat, in rabiem ne exeat. Porro si quid ad fidei sinceritatem magnopere pertinebit, neque enim huc obtorto collo pertrahenda sunt omnia, primum, res agatur per eos, qui vere norunt fidei mysteria, deinde, qui non sint tales, ut sub praetextu fidei suum agant negotium, postremo, ut res moderatis iudiciis, non seditiosis clamoribus agatur. Neque enim omnibus fortasse libet, quorumlibet arbitrio christianos esse. Haec non dubitabam, quin tibi facile persuasurus essem, cuius eruditus candor, et eruditio candida, non sum nescius, quam abhorreat ab omni virulentia. Nec difficile T. R. D. persuadebit S. D. N. Leoni, sive



quod is te ob eximias dotes tuas optimo iure facit plurimi, (\*) siue quod ipse suoapte ingenio ad pacem et concordiam mire propensus est. Huius opellae quam petimus, si parum iustum videtur praemium, quod omnibus seculis tota literatorum cohors Laurentii Campegi nomen laudibus vehet, en addo et ipse meo nomine quaecumque auctarium, paraphrasin in quinque Paulinas epistolas, quas ex omnibus illius germanis reliquas hoc impetu proximo absolvi. Neque enim ordine labor hic mihi peractus est, nec eodem tempore, nec eodem impetu. Ita factum, ut alias partes aliis dedicarim. Mihi bona spes est, hoc certe victurum opus, utpote quod probatur et ab iis, qui velut ex professo nostra omnia solent arrodere. Simul autem visum est, fidem meam R. T. D. obstrictam, aliqua saltem ex parte liberare. Neque enim excidit, et quantum debeam inauditae tuae humanitati, et quid illi per literas sim pollicitus. Hunc igitur arrhabonem boni consules, donec corrasero, unde summam quoque resolvam. Brugis a coena hac oratione, memini, dimisit me R. T. D. quaecumque aula habitura esset L. Campegium, considerem illic esse amicum ex animo benevolentem Erasmo. At ego vicissim quaecumque tellus habitura est Erasmus, illic R. T. D. credat esse mancipium sibi deditissimum. Bene valeat R. T. D. Lovanii, nonis Februarii, Anno MDXIX.

---

(\*) Alia: *maximi*

---

IN  
 EPISTOLAM PAULI AD EPHESIOS  
 ARGUMENTUM

PER

DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

**E**Pheſus metropolis quondam erat Aſiae minoris, ci-  
 vitas ſuperſtitioſe dedita cultui daemonum, et praeci-  
 pue Dianae, unde et in Actis Dianae neocoros dicitur,  
 non illius venatricis, cui poetae ſagittas et arma tribu-  
 unt, ſed multimammiae, quam Graeci polymaſton  
 appellant, quam volebant omnium animantium eſſe nu-  
 tricem, ut indicavit Hieronymus. Nam de templo  
 Epheſiae Dianae, toto orbe celebratiſſimo, paſſim et-  
 iam ethnici meminere ſcriptores. Hos curioſarum ar-  
 tium tenebat ſtudium. Unde legimus, ad praedica-  
 tionem apoſtolorum magicos libros ab eis comporta-  
 tos igni traditos fuiſſe, et ſupputato pretio comper-  
 tum fuiſſe, quinquagies mille nummum argenti, ſicu-  
 ti refertur in actis capite decimo nono. Ut igitur a  
 tantis erroribus illos abduceret, triennium apud illos  
 egit, nihil interim non faciens, quod ad illorum ſalu-  
 tem conducebat, magno ſtudio reclamantibus et ob-